

*CL.* bonam atque iustum rem oppido imperas et factu facilem.

705 et scilicet iam me hoc voles patrem exorare ut celet senēm vostrum? *SY.* immo ut recta via rem narret ordine omnem. *CL.* hem sati' sanus es et sobrius? tuquidem illum plane perdis. nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi?

30

*SY.* huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice ecfero,

710 qui vim tantam in me et potestatem habeam tantae astutiae vera dicendo ut eos ambos fallam: ut quom narret senex voster nostro istam esse amicam gnati, non credat tamen.

*CL.* at enim spēm istoc pacto rursum nuptiarum omnem 35 eripis;

nam dum amicam hanc mēam esse crebet, non committet filiam.

715 tu fors quid me fiat parvi pendi', dum illi consulas.

*SY.* quid, malum, me aetatem censes velle id adsimularier? unus est dies dum argentum eripio: pax: nil amplius.

*CL.* tantum sat habes? quid tum quaeso si hoc pater 40 resciverit?

*SY.* quid si redeo ad illos qui aiunt "quid si nunc caelum ruat?"

720 *CL.* metuo quid agam. *SY.* metui'? quasi non ea potestas sit tua

quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.